




9





an 11



A. M. MIAMA GAMIKON

*ptys auspiciatissimis*

Viri,

*Reverendi, pietate, virtute, Frig-  
nag, prestantissimi*

**Dn. M. PAULI Reuter Bit-**

**terfeldensis, Ecclesiae patriae Dia-**  
**coni vigilantissimi, Sponsi**

**NEC NON**

*Lectissima pudicissimaq; Virginis*

**SYDONIAE**

Viri

*Prudentissimi atque integerrimi*

**Dn. DANIELIS KALDENBACHII,**  
**Bitterfeldensium Judicis dignissimi, Fi-**  
**liae, Sponsae.**

*Bitterfeldi VI. Septembr.*

**ANNO MDCCXIX.**

*Celebrandis*

*Dicatum*

**A**

**Collega, Patrueli Affinibus & Amicis**  
**Typis JOHANNIS MATTHÆI.**







**G** Audia sollicitis curis permixta: quid optas?  
Latitiae sociam, tristitiae sociam,  
O te felicem, divinae consona legi  
Dum facis, haec animi est certa futura quies.  
Sed si quae priscae suberunt vestigia fraudis,  
Diluet aeternis sola propago DEI.  
Quem tu constanti confessus corde, pioque  
Officio, studijs, religione doces.  
Huic credens nullo non felix tempore vives,  
Christus sit vitae portus & aura tuæ.

I. W. V. D.



**A** Non sepè tibi praedixi, Sponse, Camoenas  
Non frustra assiduas qui colit ille colit?  
Non frustra coluisti; ample nunc munera mensis  
Dantur, Sponsa chori, Sponsa pudica thori.  
Sors animaeq; salus omnis dependet ab illa,  
Corporis ast curam sustinet ista tui.  
Quae bene cuncta suo ut moderamine cepta gerantur,  
Ex animo Sponsis opto precorq; novis.

Felicis gratulationis  
erga faciebas

Gottfridt Kenter/  
J. U. D.

**T**unc ubi convivam me Bitterfelda teneret,  
Ipse tuo fratri carmina, Sponse, dedi.  
Nunc ubi me reducem mea VVittemberga videret,  
Audiui fratrem te quoque, Sponse, sequi.  
Non ergo faciam tibi quin quoque carmina mittam,  
Carmina quæ Sponsum grata beare solent.  
Sis felix, nove Sponse, precor, concordia constans,  
Unus amor vestro crescat ut in thalamo.

Christophorus Mingius Sil.

J. U. D.

**Q**uid non virtutum Pietas Regina Beata  
Efficit aeterno sic moderante DEO?  
Exemplum præbes SPONSÆ charissime SPONSE,  
Vos junxit Pietas junxit & alba Fides.  
Junctos conservet DEVS almi foederis Autor,  
Sit vestrum Munus Ter Benedicta Manus.

S. C. C.

M. Christophorus Schneider

Pastor & S. Bitterf. F.

**A**me, SPONSE, petis bonos Phaleucos,  
Vel quicquid modò versuum bonorum est,  
Qui possint thalamo tuo dicari,  
Et nil herclè lubentiùs patrarem,  
Lingua nec foret ulla, quâ negarem,  
Nì res agta domi undiq; id vetaret.

Nosti,

Noſti, proveniant quod illa vincla  
Verborum ex animo ſereniori.  
At me jam mala tanta derepentè  
Vexarunt, & adhuc ſubinde vexant,  
Ut conſultius eſſe judicarem  
Os compescere, quàm loqui Latinè.  
Quà ſcribam ergo vice hac bonos Phaleucos,  
Vel quicquid modò verſuum bonorum eſt?

Ne verò Harpocrates velut tacere  
Viſus, Conjugio dicabo votum hoc:  
**SIT VOBIS MELIUS BEATIUS QUE,**  
Quàm mihi: Immo mihi ſit & deinceps  
Cum meis **MELIUS BEATIUSQUE.**

Si Te, meque Tuos, meosque voti  
Quovis tempore compotes benignè  
Fecerit DEUS optimus, quid ultrà  
A me, **SPONSE,** peris bonos Phaleucos,  
Vel quicquid modò verſuum bonorum eſt?

Ludebam

*M. Johan. Schneider Bitterf.  
Pouchenſium Paſtor.*

---

**V**irginibus Veneris nomen tribuere Poeta  
Et venerem calidam dicere ſepe ſolent:  
Si virgo Venus eſt, & calidum Venus excitat ignem  
Vnde tua & cur ſit frigida dicta Venus  
Dic mihi! nam Venerem rectè dixere poeta  
Vrere: Qui nomen convenit ergò TVÆ?  
Res dubia eſt: Verum quis dixerit? arbiter eſto  
Sponſe mihi & cauſas nominis adde TVÆ.

A 3

Si ne-

*Si nequeas nimium Veneris, perferre calorem*

*Contra aestum praesens est medicina Tibi:*

*Est rigidus rivus: bibito hunc Reatere, Calorem:*

*Restringues: medio hoc utere; salvus eris.*

*Benevolentiae ergò ludebat*

*M. Balthasar Furmannus*

*Amplissima Fac. Philosoph.*

*Adjunctus.*

**Q**uid bona aratorem, fundo sine stiva? quid, unda  
Si piscatori desit, arundo juvat?  
Absque incude fabrum quid malleus? absq; caballo  
Virga equitem? sigulum quid rotula absque luto?  
Fallor; an est monstris his ille propinquior, aptus  
Conjugio juvenis, qui sine conjugio?  
Quàm benè *Paule* tibi tu prospicis ergò, puellam  
Qui thalamos recipis, tantaque monstra fugis?  
Nunc es *Eques*, tibi equus contingit ut omnia pulcher,  
Omnia conveniens usibus isq; tuis.  
Frons auro splendet, vibrat juba passa per armos,  
Totum animal phaleris dapilibusque micat.  
Nunc es *Eques*, vel *Eques* si fortean esse recusas,  
Piscator mihi sis, & tibi *Rivus* erit.  
Musa sile, dictum satis est Sapienibus, at tu  
Sponse, utriusq; diu, nominis omen age.  
Affini suo dilectissimo  
ludebat

*Gottfridus Erhardi*

*Cosuuigâ-Anhaldinus*

*LL. Studiosus.*

*Hoc*



**H**oc est, quod dudum mihi mens dictavit, amande  
Fautor, conspicua vir pietate gravis,  
Quod meditere torum. Quia enim te mater amorum  
Ardentem flammæ secerat igniculis;  
Non prius extingui poterant, quam R. IVLLVM adires  
FRIGIDVLVM, peteres pharmacaq; inde tibi.  
FRIGIDVS hic Rivus precor haud extinguat amoris  
Flammas, sed magis has augeat, & foveat.

Christianus VValpurger  
Fribergensis. S. S. Theol. Studiosus.  
& Al. El. Lips.

**L**egitimas tædas, & connubialia festa,  
Haud facilis labor est, quærere iusta sibi:  
Novit enim nullus, quænam ducenda sit uxor,  
Consilio nisi sit iudicioq; bono.  
Sedulus, at, quia voluisti pia scripta sophorum,  
Idcirco Sponsam nactus es egregiam.  
Ecce novam nuptam: vix hæc studiosior extat,  
Quæ relegit sanctos ulla puella libros:  
Colla nivem poterunt, aurum superare capilli,  
Ora rosas, molles alba ligustra manus.  
Præin merito grator thalami sacros hymenæos,  
Connubioq; precor fata secunda tuo.  
Affluat ambobus vestris fors larga quadrigis:  
Ad votum vestrum prospera quæq; cadant.  
Vos decet, æterno quos fœdere numina nectunt,  
Devotum lætæ munus obire DEÆ:  
Solvere primitias Veneri, sic suavia semper  
Mutuus inter vos bella parabit amor.

Vos

Vos ita formosis implete cubilia natis :  
Perstet ad extremas vestra propago dies.  
Degite concordēs, ambo sic vivere digni,  
Et facili vestrum ferte labore jugum.

*Johannes Schlenckbardus  
Bitterfeld. LL. Studiosus.*

**SOLI DEO GLORIA.**



ULB Halle  
002 677 830

3



56


Nv 1999

(1/69.)

VD 17








Farbkarte #13

B.I.G.



an 11



MA GAMIKON  
 auspiciatissimis  
 Viri,  
 ate, virtute, & Fri-  
 estantissimi

**ULI Reuter Bit-**

Ecclesiae patriae Dia-  
 antissimi, Sponsi

C NON  
 dicissimaq; Virginis

**ONIAE**

Viri  
 ni atque integerrimi  
 S KALDENBACHII,  
 n Judicis dignissimi, Fi-  
 e, Sponsae.

li VI. Septembr.

CIO IC XIX,  
 brandis  
 Dicatum

A  
 eli Affinibus & Amicis  
 NNIS MATTHÆI.

